

VIRO NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTOPHORO WILHELMO KAYSERO

BRUNSVICENSI

S. S. THEOL. CULTORI DIGNISSIMO

S. P. D.

IOANNES ERNESTVS SCHVBERT. D.

DES. ABBAS COENOBII AD LAP. S. MICH.

Quamvis non indigeas laudibus nostris, DOCTISSIME
KAYSERE, id tamen amori & officio dabis, ut Te
plausibus & votis prosequar, præclarum eruditionis TVAE
specimen editurum, quam in diversis Academiis laudabili
& haud vulgari prorsus diligentia non minus quam scien-
tias tractandi ratione Tibi comparasti. Eam quippe viam
mox in limine studiorum academicorum prudenter ingres-
sus es, qua ad metam Tibi omnibusque sanctioris disciplinae
cultoribus præfixam, h. e. ad distinctam solidamque myste-
riorum divinitus in salutem nobis traditorum cognitionem
omnium certissime pervenitur. Postquam animus sobriae
philosophiae principiis probe imbutus, & ad altiora recte
capienda rite præparatus erat, totus in eo fuisti, ut linguas
sanctas, sine quarum notitia religionis cognitio dubia sem-
per manet atque incerta, familiares TIBI redderes. His
duobus fulcris, philosophia nimirum & philologia sacra, in-
nixus ipsum doctrinae salutaris systema strenue aggressus
es, inque ea addiscenda tantos fecisti progressus, ut, quid
valeas & in genuina sacri codicis locorumque difficiliorum
interpretatione, & in dogmatum sacrorum, maxime con-
troversorum, discussione, jam scripto publico doctissime e-
laborato ostendas. Hæc TVA eruditio, cuius jam publi-
cum prostat testimonium, tanto majoris pretii esse mihi
videtur, quo excellentior est virtus, quæ TE ornat, &
F quo